

de Israël cœtus grandis nimis virorum & mulierum & puerorum, & fleuit populus fleu multo.

2. Et respondit Sechenias filius Iehiel de filiis Ælam, & dixit Esdræ: Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, & duximus uxores alienigenas de populis terræ: & nunc, si est poenitentia in Israël super hoc,

3. percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut proficiamus universas uxores, & eos qui de his nati sunt iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundum legem fiat.

4. Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum: confortare, & fac.

5. Surrexit ergo Esdras, & adiuravit principes Sacerdotum & Levitarum, & omnem Israël ut facerent secundum verbum hoc, & iuraverunt.

6. Et surrexit Esdras ante domum Dei, & abiit ad cubiculum Iohanan filij Eliasib, & ingressus est illic, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant * de captivitate.

* Sub duce Zorobabele, ante ann. 70. V. cep. 1.

7. Et missa est vox in Iuda & in Ierusalem omnibus filiis transmigratoris, ut congregarentur in Ierusalem:

8. & omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum & seniorum, auferetur universa substantia eius, & ipse abjicietur de cœtu transmigratoris.

9. Convenerunt igitur omnes viri Iuda, & Benjamin in Ierusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis: & sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, & pluvii.

10. Et surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos: Vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas ut adderetis super delictum Israël.

11. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini a populis terræ, & ab uxoribus alienigenis.

12. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos, sic fiat.

13. Verumtamen quia populus multus est, & tempus pluvie, & non sustinemus stare foris, & opus non est diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in sermone isto)

14. constituantur principes in universa

multitudine: & omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas veniant in temporibus statutis, & cum his senioribus per civitatem & civitatem, & iudices eius donec avertatur ira Dei nostri a nobis super peccato hoc.

15. Igitur Ionathan filius Azahel, & Iaasia filius Thecuc steterunt super hoc, & Mesollam & Sebethai Levites adiuvant eos:

16. Feceruntque sic filij transmigratoris. Et abierunt Esdras Sacerdos, & viri principes familiarum in domos patrum suorum, & omnes per nomina sua, & sederunt in die primo mensis decimi ut quærerent rem.

17. Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant uxores alienigenas, usque ad diem primam mensis primi.

18. Et inventi sunt de filiis sacerdotum qui duxerant uxores alienigenas. De filiis Josue filij Josedec, & fratres eius, Maasia, & Eliezer, & Iarib, & Godolia.

19. Et dederunt manus suas ut eicerent uxores suas, & pro delicto suo arietem de ovibus offerrent:

20. & de filiis Emmer, Hanani, & Zebedia:

21. & de filiis Harim, Maasia, & Elias, & Semei, & Iehiel, & Ozias:

22. & de filiis Peshur, Elioënai, Maasia, Ismaël, Nathanaël, Iozabed, & Elasa: 23. & de filiis Levitarum, Iozabed, & Semei, & Celaïa, ipse est Calita, Phataïa, Iuda, & Eliezer.

24. Et de cantoribus, Eliasib: Et de ianitoribus, Sellam, & Telem, & Uri:

25. & ex Israël, de filiis Pharos, Remeïa, & Iezia, & Melchia, & Miamin, & Eliezer, & Melchia, & Banea:

26. Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, & Iehiel, & Abdi, & Ierimoth, & Elias:

27. Et de filiis Zethua, Elioënai, Eliasib, Mathania, & Ierimoth, & Zabab, & Aziza.

28. Et de filiis Bebai, Iohanan, Hanania, Zabbai, Athalai:

29. Et de filiis Bani, Mosollam, & Melluch, & Adaïa, Iasub, & Saal, & Ramoth:

30. Et de filiis Phahath Moab, Edna, & Chahal, Banaïas, & Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui, & Manasse:

31. & de filiis Herem, Eliezer, Josue, Melchias, Semeïas, Simeon,

32. Benjamin, Maloch, Samarias:

33. Et

33. Et de filiis Hasom, Mathanaï, Mathatha, Zabab, Eliphelet, Iermai, Manasse, Semei.

34. De filiis Bani, Maaddi, Amram, & Vel.

35. Baneas, & Badaïas, Cheliau,

36. Vania, Marimuth, & Eliasib,

37. Mathanias, Mathanaï, & Lasi,

38. & Bani, & Bennui, Semei,

& Salmias, & Nathan, & Adaïas,

40. & Mechnedebai, Sisai, Sarai,

41. Ezrel, & Selemiau, Semeia,

42. Sellum, Amaria, Ioseph:

43. De filiis Nebo, Iehiel, Mathathias,

Zabab, Zabina, Ieddub, & Ioël, & Banaïa.

44. Omnes hi accepterant uxores alienigenas, & fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

LIBER NEHEMIÆ,

QUI ET

ESDRÆ SECUNDUS

DICITUR.

HIC liber a Nehemia scriptore nomen accepit, cuius perfectionem evenisse postquam ascendit Zorobabel ann. 82. & postquam Esdras ascendit ann. 13. patet ex annotatis ad marginem libri, eodem huius, tum superioris. Vidit hic Esdras etque superperstes fuit, ex cuius consilio animam ad scribendum applicuisse dicitur, unde etiam Esdræ secundus dicitur liber, qui olim a priori non discriminebatur, ut testis est Hieronymus. Continet autem instaurationem Ierosolymorum, correctionem reduci popululi, & labentis Dei cultus renovationem. Historia est ann. circiter 31. ab anno scilicet Artaxerxis Longimani 20. qui est mundi 3550. ad regnum iam inchoatum Darij Norbi, eius filij, qui ann. M. 3581. auspiciatus est.

CAPUT PRIMUM.

Nehemias Artaxerxis pincerna, auditâ Iudeorum, qui a captivitate residui erant afflictione, flet, ac multis diebus ieiunat, populi peccata confitens, & misericordiam a Deo petens.

1. Erba Nehemiæ filij Helchie. Et factum est in mense Casleu,

* anno vigesimo, & ego eram in Susis castro.

2. Et venit Hanani unus de fratribus meis, ipse & viri ex Iuda: & interrogavi eos de Iudeis, qui remanserant, & supererant de captivitate, & Ierusalem.

3. Et dixerunt mihi: Qui remanserunt, & relicti sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt, & in opprobrio: & murus Ierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni.

4. Cùmque audissem verba huiuscemodi, sedi, & flevi, & luxi diebus multis:

5. & dixi: * Quæso Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua:

6. fiant aures tue auscultantes, & oculi tui aperti ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodiè nocte & die pro filiis Israël servis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccaverunt tibi: ego, & domus patris mei peccavimus.

7. vanitate seduci sumus, & non custodivimus mandatum tuum, & ceremonias, & iudicia quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

8. Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: Cùm transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos: 9. & si revertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi ut habitaret nomen meum ibi.

10. Et

11. Et

12. Et

13. Et

14. Et

15. Et

16. Et

17. Et

18. Et

19. Et

20. Et

21. Et

22. Et

23. Et

24. Et

25. Et

26. Et

27. Et

28. Et

29. Et

30. Et

31. Et

32. Et

33. Et

34. Et

35. Et

36. Et

37. Et

38. Et

39. Et

40. Et

41. Et

42. Et

43. Et

44. Et

45. Et

46. Et

47. Et

48. Et

49. Et

50. Et

51. Et

52. Et

53. Et

54. Et

55. Et

56. Et

57. Et

58. Et

59. Et

60. Et

10. Et ipsi servi tui, & populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida.

11. Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, & ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & dirige servum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc. ego enim eram pincerna regis.

CAPUT II.

Nehemias, impetratis a rege litteris, venit Ierusalem, & ad murorum instauracionem hortatur, & incumbit, frustra fremementibus hostibus.

Anno M. 3550. ante Æram Chr. 454. Inde autem 70. septimanarum Danielis initium accessit Dan. 9.

1. Factum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & levavi vinum, & dedi regi: & eram quasi languidus, ante faciem eius.

2. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrorum non videam? non est hoc frustra, sed malum quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis:

3. & dixi regi: Rex in æternum vivez: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni?

4. Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oravi Deum cæli,

5. & dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Iudæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.

6. Dixitque mihi rex, & regina quæ sedebat iuxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando revertéris? Et placuit ante vultum regis, & misit me: & constitui ei tempus.

7. Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolam det mihi ad duces regionis trans Flumen, ut traducant me, donec veniam in Iudæam:

8. & epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas turris domus, & muros civitatis, & domum, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam mecum.

9. Et veni ad duces regionis trans Flumen, & dedi eis epistolam regis. Miserat autem rex mecum principes militum, & equites.

* Annor. 12. ut patet infra 5. 14. & 13. 6.

10. Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias servus Ammanites: & contristati sunt afflictione magnâ, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israël.

11. Et veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus.

12. Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Ierusalem, & iumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam.

13. Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoreis, & considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.

14. Et transivi ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus iumento, cui sedebam, ut transiret.

15. Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum, & reversus veni ad portam vallis, & redij.

16. Magistratus autem nesciebant quò abissem, aut quid ego facerem: sed & Iudæis & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram.

17. Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus; quia Ierusalem deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Ierusalem, & non simus ultra opprobrium.

18. Et indicavi eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba regis, quæ locutus esset mihi, & aio: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.

19. Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias servus Ammanites, & Gosem Arabs, & subsannaverunt nos, & despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis?

20. Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos: Deus cæli ipse nos iuvat, & nos servi eius sumus: surgamus & ædificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.

CAPUT III.

Ierusalem in muris, turribus, ac portis, ædificatur a variis qui hic recensentur.

1. Surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes, & ædificaverunt portam gregis: ipsi sancti-

* i. Mositarum Toparcha, ab Horonaimis præcipuo eius regionis loco denominatus, de quo Isai. 15. 5. † i. Beneficarius regis Persidis, Ammonitarum Toparcha.

* Annis 82. postquam ascendit Zorobabel, & 13. postquam ascenderat Esdras.

Eodem ann. 3550.

ficaverunt eam, & statuerunt valvas eius, & usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam, usque ad turrim Hananeel.

2. Et iuxta eum ædificaverunt viri Iericho: & iuxta eum ædificavit Zachur filius Amri.

3. Portam autem piscium ædificaverunt filij Asnaa: ipsi texerunt eam, & statuerunt valvas eius, & seras, & vèctes. Et iuxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filij Accus.

4. Et iuxta eum ædificavit Mosollam filius Barachia: filij Mesezebel: & iuxta eos ædificavit Sadoc filius Baana.

5. Et iuxta eos ædificaverunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui.

6. Et portam veterem ædificaverunt Ioadâ filius Phasea, & Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valvas eius, & seras, & vèctes:

7. Et iuxta eos ædificaverunt Melthias Gabaonites, & Iadon Meronathites, viri de Gabaon, & Maspha, pro duce qui erat in regione trans Flumen.

8. Et iuxta eum ædificavit Eziel filius Arafa aurifex: & iuxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarij: & dimiserunt Ierusalem usque ad murum plateæ latioris.

9. Et iuxta eum ædificavit Raphata filius Hur, princeps vici Ierusalem.

10. Et iuxta eum ædificavit Iedaia filius Haromaph contra domum suam: & iuxta eum ædificavit Hattus filius Hasebonia.

11. Mediam partem vici ædificavit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phathath Moab, & turrim furnorum.

12. Et iuxta eum ædificavit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Ierusalem, ipse & filia eius.

13. Et portam vallis ædificavit Hanun, & habitatores Zanoë: ipsi ædificaverunt eam, & statuerunt valvas eius, & seras, & vèctes, & mille cubitos in muro usque ad portam sterquilinij.

14. Et portam sterquilinij ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit eam, & statuit valvas eius, & seras, & vèctes.

15. Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificavit eam, & texit, & statuit valvas eius, & seras, & vèctes, & muros piscinæ Siloë in hortum regis, & usque ad gradus, qui descendunt de Civitate David.

16. Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc princeps dimidiæ partis vici Bethsur usque contra sepulchrum David: & usque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est, & usque ad domum fortium.

17. Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni: post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Cella in vico suo.

18. Post eum ædificaverunt fratres eorum Bavai filius Enadâ, princeps dimidiæ partis Cella.

19. Et ædificavit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli.

20. Post eum in monte ædificavit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni.

21. Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filij Haccus, mensuram secundam, a porta domus Eliasib, donec extendetur domus Eliasib.

22. Et post eum ædificaverunt sacerdotes viri de campestribus Iordanis.

23. Post eum ædificavit Beniamin & Hasub contra domum suam: & post eum ædificavit Azarias filius Maasie filij Anania contra domum suam.

24. Post eum ædificavit Bennui filius Henadâ mensuram secundam, a domo Azariae usque ad flexuram, & usque ad angulum.

25. Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim, quæ eminent de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos.

26. Nathinaei autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat.

27. Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam e regione, a turre magna & eminente usque ad murum templi.

28. Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam.

29. Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaia filius Sechenia, custos portæ Orientalis.

30. Post eum ædificavit Hanania filius Selemia, & Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachia, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Na-

Nathinaeorum; & seruta vendentium contra portam iudicalem, & usque ad coenaculum anguli.

31. Et inter coenaculum anguli in porta gregis edificaverunt aurifices & negotiatores.

CAPUT IV.

Adversantibus Sanaballat & Tobia cum ceteris gentibus, Iudaei altera manu edificant, altera gladium tenent; & Nehemia contra illorum subsannationes & insidias Deum orante, opus perficitur.

Eodem
ann. 3550.

1. Factum est autem, cum audisset Sanaballat quod edificarem murum, iratus est valde: & motus nimis subsannavit Iudeos.

2. & dixit coram fratribus suis, & frequentia Samaritanorum: Quid Iudaei faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt, & complebunt in una die? Numquid edificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?

3. Sed & Tobias Ammanites proximus eius, ait: Edificent: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.

4. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui: converte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captivitate.

5. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt edificantes.

6. Itaque edificavimus murum, & coniunximus totum usque ad partem dimidiam: & provocatum est cor populi ad operandum.

7. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammanitae, & Azotij, quod obducta esset cicatrix muri Ierusalem, & quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.

8. Et congregati sunt omnes pariter ut venirent, & pugnarent contra Ierusalem, & molirentur insidias.

9. Et oravimus Deum nostrum, & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.

10. Dixit autem Iudas: Debilitata est fortitudo portantis, & humus nimia est, & nos non poterimus edificare murum.

11. Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, & ignorent donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.

12. Factum est autem venientibus Iu-

dæis, qui habitabant iuxta eos, & dicentibus nobis per decem vices ex omnibus locis quibus venerant ad nos,

13. statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, & lanceis, & arcubus.

14. Et perspexi atque surrexi: & aio ad optimates & magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Nolite timere a facie eorum. Domini magni & terribilis mentote, & pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, & filiabus vestris, & uxoriabus vestris, & domibus vestris.

15. Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum.

16. Et factum est a die illa, media pars iuvenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & scutæ, & arcus, & loriceæ, & principes post eos in omni domo Iudæ.

17. Edificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: unâ manu suâ faciebat opus, & alterâ tenebat gladium.

18. Edificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et edificabant, & clangebant buccinâ iuxta me.

19. Et dixi ad optimates, & ad magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Opus grande est & latum, & nos separati sumus in muro procul alter ab altero:

20. in loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis.

21. Et nos ipsi faciamus opus: & media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ donec egrediantur astra.

22. In tempore quoque illo dixi populo: Unusquisque cum puero suo maneat in medio Ierusalem, & sint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum.

23. Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & custodes, qui erant post me, non deponabam vestimenta nostra: unusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

CAPUT V.

In magna inopia Nehemia dives avaros increpat, usurasque prohibet, sua indignitibus sponte largiens: itaque hanc operis remoram submovet.

1. Et factus est clamor populi, & uxorum eius magnus adversus fratres suos Iudæos.

Eodem
ann. 3550.

2. Et

2. Et erant qui dicerent: Filij nostri, & filiae nostrae multae sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus.

3. Erant qui dicerent: Agros nostros, & vineas, & domos nostras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.

4. Et alij dicebant: Mutuò sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros & vineas:

5. & nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostrae sunt: & sicut filij eorum, ita & filij nostri. ecce nos subiugamus filios nostros, & filias nostras in servitutem, & de filiabus nostris sunt famulae, nec habemus unde possint redimi, & agros nostros & vineas nostras alij possident.

6. Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc:

7. cogitavitque cor meum mecum: & increpavi optimates & magistratus, & dixi eis: Usurasne singuli a fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversum eos concionem magnam,

8. & dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus secundum possibilitatem nostram: & vos igitur vendetis fratres vestros, & redimemus eos? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent.

9. Dixique ad eos: Non est bona res, quam facitis: quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobetur nobis a gentibus inimicis nostris?

10. Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodavimus plurimis pecuniam & frumentum: non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis.

11. Reddite eis hodie agros suos, & vineas suas, & olivea suas, & domos suas: quin potius & centesimam pecuniae, frumenti, vini & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.

12. Et dixerunt: Reddemus, & ab eis nihil quaeremus: sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi Sacerdotes, & adiuravi eos, ut facerent iuxta quod dixeram.

13. Insuper excussi sinum meum, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum istud, de domo sua, & de laboribus suis: sic excutiat, & vacuus fiat. Et dixit universa multitudo: Amen. Et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum.

14. A die autem illa, quâ præceperat

rex mihi ut essem dux in terra Iudæ, ab anno vigesimo usque ad annum trigessimum secundum Artaxerxis regis per annos duodecim, ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.

15. Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, & acceperunt ab eis in pane, & vino, & pecunia quotidie siclos quadraginta: sed & ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:

16. quin potius in opere mihi edificavi, & agrum non emi, & omnes pueri mei congregati ad opus erant.

17. Iudæi quoque & magistratus centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant.

18. Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diversa, & alla multa tribuebam: insuper & annonas ducatus mei non quaesivi: valde enim attenuatus erat populus.

19. Memento mei Deus meus in bonum secundum omnia, quæ feci populo huic.

CAPUT VI.

Sanaballat cum sociis Iudæis Nehemiam ad sedus insidiosis litteris invitans, minatur accusationem de affectato regno, ac sic edificationem impedire nitens, non terret, nec immutat propositum Nehemiae: completoque muro, timuerunt omnes finitimæ gentes.

1. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Gossem Arabs, & ceteri inimici nostri, quod edificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis)

2. miserunt Sanaballat, & Gossem ad me, dicentes: Veni, & percutiamus fossus pariter in viculis in Campo Ono: Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum.

3. Misi ergo ad eos nuncios, dicens: Opus grande ego facio, & non possum descendere: ne forte negligatur cum venero, & descendero ad vos.

4. Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: & respondi eis iuxta sermonem priorem.

5. Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum

Eodem
ann. 3550.

CAPUT VII.

Per Nehemiam constituuntur custodes in Ierusalem, deinde convocato populo recensentur hi qui primam ascenderant Ierusalem, unâ cum iumentis ipsorum; danturque munera ad opus edificationis.

bum prius quintâ vice puerum suum, & epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo:

6. IN GENTIBUS auditum est, & Gossem dixit, quòd tu & Iudæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & levare te velis super eos regem: propter quam causam

7. & prophetas posueris, qui prædicent de te in Ierusalem, dicentes: Rex in Iudæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter.

8. Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc.

9. Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quòd cessarent manus nostræ ab opere, & quiesceremus. Quam ob causam magis confortavi manus meas:

10. & ingressus sum domum Semaiæ filij Dalaiæ filij Metabeel secretò. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, & claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, & nocte venturi sunt ad occidendum te.

11. Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? & quis ut ego ingredietur templum, & vivet? non ingrediar.

12. Et intellexi quòd Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, & Tobias, & Sanaballat conduxiserunt eum.

13. acceperat enim pretium, ut terribis facerem, & peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent mihi.

14. Memento mei Domine pro Tobia & Sanaballat, iuxta opera eorum talia: sed & Noadiæ prophetae, & ceterorum prophetarum, qui terrebant me.

15. Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul *, quinquaginta duobus diebus.

16. Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & conciderent intra semetipsos, & scirent quòd a Deo factum esset opus hoc.

17. Sed & in diebus illis multæ optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & a Tobia veniebant ad eos.

18. Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius, quia gener erat Secheniæ filij Area, & Iohanan filius eius acceperat siliam Mosollam filij Barachia:

19. sed & laudabant eum coram me, & verba mea nunciabant ei: & Tobias mittebat epistolam ut terreret me.

1. **P**ostquam autem ædificatus est murus *, & posui valvas, & recensui ianitores, & cantores, & Levitas:

2. præcepi Hanani fratri meo, & Hananiae principi domûs de Ierusalem (ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus ceteris videbatur)

3. & dixi eis: Non aperiantur portæ Ierusalem usque ad calorem solis. Cùmque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, & oppilatæ: & posui custodes de habitatoribus Ierusalem, singulos per vices suas, & unumquemque contra domum suam.

4. Civitas autem erat lata nimis & grandis, & populus parvus in medio eius, & non erant domus ædificate.

5. Deus autem dedit in corde meo, & congregavi optimates, & magistratus, & vulgus, ut recenserem eos: & inveni librum censûs eorum, qui ascenderant primum, & inventum est scriptum in eo.

6. * Isti filij provinciarum, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, & reversi sunt in Ierusalem, & in Iudæam, unusquisque in civitatem suam.

7. Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardocheus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus viro- rum populi Israël:

8. Filij Pharos, duo millia centum septuaginta duo:

9. Filij Saphatia, trecenti septuaginta duo:

10. Filij Area, sexcenti quinquaginta duo:

11. Filij Phathathmoab filiorum Iosue & Ioab, duo millia octingenti decem & octo:

12. Filij Ælam, mille ducenti quinquagintaquatuor:

13. Filij Zethua, octingenti quadragintaquinque.

14. Filij Zachai, septingenti sexaginta:

15. Filij Bannui, sexcenti quadraginta octo:

16. Filij Bebai, sexcenti vigintiocto:

17. Filij Azgad, duo millia trecenti vigintiduo:

Eodem ann. 3550. Eccl. 49. 15. * Cuius dedicatio peragitur Inf. 12. 27.

* Vide 1. Esdr. 2. 1.

18. Filij Adonicam, sexcenti sexaginta septem:

19. Filij Beguai, duo millia sexaginta septem:

20. Filij Adin, sexcenti quinquagintaquinque:

21. Filij Ater, filij Hezeciae, nonaginta octo:

22. Filij Hasem, trecenti vigintiocto:

23. Filij Besai, trecenti viginti quatuor:

24. Filij Hareph, centum duodecim:

25. Filij Gabaon, nonagintaquinque:

26. Filij Bethlehem, & Netupha, centum octoginta octo.

27. Viri Anathoth, centum vigintiocto.

28. Viri Bethazmoth, quadraginta duo.

29. Viri Cariathiarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadragintatres.

30. Viri Rama & Geba, sexcenti vigintiduo.

31. Viri Machmas, centum vigintiduo.

32. Viri Bethel & Hai, centum vigintitres.

33. Viri Nebo alterius, quinquaginta duo.

34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor.

35. Filij Harem, trecenti viginti.

36. Filij Iericho, trecenti quadragintaquinque.

37. Filij Lod Hadid & Ono, septingenti vigintiduo.

38. Filij Senaa, tria millia nongenti triginta.

39. Sacerdotes: Filij Idaia in domo Iosue, nongenti septuagintatres.

40. Filij Emmer, mille quinquaginta duo.

41. Filij Phashur, mille ducenti quadraginta septem.

42. Filij Arem, mille decem, & septem: Levitæ:

43. Filij Iosue & Cedmihel filiorum:

44. Odviae, septuagintaquatuor: Cantores:

45. Filij Asaph, centum quadraginta octo.

46. Ianitores: Filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: centum triginta octo.

47. Nathinae: filij Soha, filij Hasupha, filij Tebbaoth,

48. filij Ceros, filij Saa, filij Phadon, filij Lebana, filij Hagaba, filij Selmai,

49. filij Hanan, filij Geddel, filij Gaher,

50. filij Raala, filij Rasin, filij Necoda,

51. filij Gezem, filij Aza, filij Phasea,

52. filij Besai, filij Munim, filij Ne-phussim,

53. filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Harhur,

54. filij Besloth, filij Mahida, filij Harsa,

55. filij Bercos, filij Sisara, filij Thema,

56. filij Nasia, filij Hatipha,

57. filij servorum Salomonis, filij So-thai, filij Sophereth, filij Pharida,

58. filij Iabala, filij Darcon, filij Ieddel,

59. filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon.

60. Omnes Nathinae, & filij servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.

61. Hi sunt autem, qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, & Emmer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, utrum ex Israël essent.

62. Filij Dalaiæ, filij Tobia, filij Necoda, sexcenti quadraginta duo.

63. Et de Sacerdotibus, filij Habia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaadenti uxorem: & vocatus est nomine eorum.

64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non invenerunt: & eieci sunt de sacerdotio.

65. Dixitque Athersatha * eis ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret Sacerdos doctus & eruditus.

66. Omnis multitudo quasi vir unus quadraginta duo millia trecenti sexaginta,

67. absque servis, & ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti triginta septem, & inter eos cantores, & cantatrices, ducenti quadragintaquinque.

68. Equi eorum, septingenti triginta sex: muli eorum, ducenti quadraginta quinque:

69. camelorum, quadringenti trigintaquinque: asini, sex millia septingenti viginti.

* i. præfectus, sc. Zorobabel. Vide lib. 1. cap. 2. v. 63.

* Hoc neque in Hebr. neque in Græco est, neque suo loco videtur hic positum. Nam ab y. 6. historia Nehemiae est.

* Hac usque refertur quid in commentario scriptum fuerit, exin Nehemiae historia textitur.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille,

phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta.

71. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis auri drachmas

viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas.

72. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia, & tunicas sacerdotales sexaginta septem.

73. Habitaverunt autem Sacerdotes, & Levitæ, & ianitores, & cantores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israël in civitatibus suis.

CAPUT VIII.

*Esdras distinctè populo verba Legis recitavit explicatque, factò per Levitas silentio, & contristatum populum Nebe-
mias consolatur, allatisque frondibus celebrant septem diebus festum tabernaculorum; legente singulis diebus Esdrâ in libro Legis.*

1. **E**T venerat mensis septimus: filij autem Israël erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis populus quasi vir unus ad plateam, quæ est ante portam aquarum: & dixerunt Esdræ scribæ ut afferret Librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israël.

2. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi.

3. Et legit in eo apertè in platea quæ erat ante portam aquarum, de manè usque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum, & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad Librum.

4. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: & steterunt iuxta eum Mathathias, & Semeïa, & Ania, & Uria, & Helcia, & Maasia, ad dexteram eius: & ad sinistram, Phadaïa, Misaël, & Melchia, & Hasum, & Hasbadana, Zacharia, & Mosollam.

5. Et aperuit Esdras Librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat: & cum aperuisset eum, stetit omnis populus.

6. Et benedixit Esdras Domino Deo magno: & respondit omnis populus: Amen, Amen: elevans manus suas. & incurvati sunt, & adoraverunt Deum proni in terram.

7. Porrò Iosue, & Bani, & Serebia, Iamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Iozabed, Hanan, Pha-

laïa, Levitæ, silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo.

8. Et legerunt in Libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexerunt cum legeretur.

9. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha *) & Esdras sacerdos & scriba, & Levitæ interpretantes universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.

10. Et dixit eis: Ite, comedite pinguis, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt sibi: quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.

11. Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est, & nolite dolere.

12. Abiit itaque omnis populus ut comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiã magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eois.

13. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, Sacerdotes & Levitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba Legis.

14. Et invenerunt scriptum in lege præcepisse Dominum in manu Moysi ut habitent filij Israël in tabernaculis, in die solemnì, mense septimo:

15. & ut prædicent, & divulgent vocem in universis urbibus suis, & in Ierusalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferite frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrri, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi ut fiant tabernacula, sicut scriptum est.

16. Et egressus est populus, & attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo, & in atrijs suis, & in atrijs domus Dei, & in platea portæ aquarum, et in platea portæ Ephraim.

17. Fecit ergo universa Ecclesia eorum, qui redierant de captivitate, tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant a diebus Iosue filij Nun taliter filij Israël usque ad diem illum: Et fuit lætitiã magna nimis.

18. Legit autem in Libro legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum. Et fecerunt solemnitatem septem diebus, & in die octavo collectam iuxta ritum.

* i. ipse erat tum Athersatha, sive præfectus. Vid. supr. c. 7. v. 65.

* Lev. 23. 39.

CA-

CAPUT IX.

Populus in ieiunio & saccis pavitens separatur se ab alienigenis: Levitæ confitentur Dei beneficia, Israelitarumque scelera, & pro populo orant, ac ita fadus cum Domino feriunt.

Eodem ann. 3551.

1. **I**N die autem vigesimoquarto mensis huius convenerunt filij Israël in ieiunio & in saccis, & humus super eos.

2. Et separatim est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena: & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum.

3. Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.

4. Surrexerunt autem super gradum Levitarum Iosue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Chananii: & clamaverunt voce magnâ ad Dominum Deum suum.

5. Et dixerunt Levitæ Iosue, & Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaïa, Sebnia, Phathabia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab aeterno usque in aeternum: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelsi in omni benedictione & laude.

6. Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cælum, & cælum cælorum, & omnem exercitum eorum: terram, & univêrsam quæ in ea sunt: maria, & omnia quæ in eis sunt: & tu vivificas omnia hæc, & exercitus cæli te adorat.

* Gen. 11. 31.

7. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, & * eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham.

8. Et invenisti cor eius fidele coram te: & percussisti eum eo fœdus ut dares ei Terram Chananai, Hethai, & Amorrhæi, & Pherzeai, & Iebusai, & Gergesæi, ut dares semini eius: & implesti verba tua, quoniam iustus es.

9. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto: clamoremque eorum audisti super Mare rubrum.

10. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in universis servis eius, & in omni populo terræ illius: cognovisti enim quia superbè egerant contra eos: & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die.

11. Et mare divisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum proiecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.

12. Et in columna nubis ductor eorum

fuiisti per diem, & in columna ignis per noctem, ut appareret eis via, per quam ingrediebantur.

13. Ad montem quoque Sinai descendisti, & locutus es cum eis de cælo, & dedisti eis iudicia recta, & legem veritatis, ceremonias, & præcepta bona:

14. & sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui.

15. Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis sitientibus, & dixisti eis ut ingredierentur & possiderent terram, super quam levasti manum tuam ut traderes eis.

16. Ipsi verò & patres nostri superbè egerunt, & induraverunt cervices suas, & non audierunt mandata tua.

17. Et noluerunt audire, & non sunt recordati mirabilia tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, & dederunt caput ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitiuss, clemens, & misericors, longanimis, & multæ miserationis non dereliquisti eos,

18. & quidem cum fecissent sibi vitulum constabilem, & dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blasphemias magnas.

19. Tu autem in misericordis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem ut duceret eos in viam, & columna ignis per noctem ut ostenderet eis iter per quod ingredierentur.

20. Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos, & manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti.

21. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt, & pedes eorum non sunt attriti.

22. Et dedisti eis regna, & populos, & partitus es eis sortes: & possederunt terram Sehon, & terram regis Hesebon, & terram Og regis Basan.

23. Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli, & adduxisti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum ut ingredierentur & possiderent.

24. Et venerunt filij, & possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terræ Chanaanæos, & dedisti eos in manu eorum & reges eorum & populos

Pp

ter-

terræ ut facerent eis sicut placebat illis.

25. Ceperunt itaque urbes munitas & humum pinguem, & possederunt domos plenas cunctis bonis: cisternas ab aliis fabricatas, vineas, & oliveta, & ligna pomifera multa: & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundaverunt deliciis in bonitate tua magna.

26. Provocaverunt autem te ad iracundiam, & recesserunt a te, & proiecerunt legem tuam post terga sua: & prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos ut revertentur ad te: feceruntque blasphemias grandes.

27. Et dedisti eos in manu hostium suorum, & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, & tu de cælo audisti, & secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum.

28. Cùmque requievisset, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo: & dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, & possederunt eos. Conversique sunt, & clamaverunt ad te: tu autem de cælo exaudisti, & liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus.

29. Et contestatus es eos ut revertentur ad Legem tuam. Ipsi verò superbè egerunt, & non audierunt mandata tua, & in iudiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, & viver in eis: & dederunt humerum recedentem, & cervicem suam induraverunt, nec audierunt.

30. Et protraxisti super eos annos multos, & contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum, & non audierunt, & tradidisti eos in manu populorum terrarum.

31. In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos: quoniam Deus miserationum, & clemens es tu.

32. Nunc itaque Deus noster magne, fortis, & terribilis, custodiens pactum & misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos, reges nostros, & principes nostros, & sacerdotes nostros, & prophetas nostros, & patres nostros, & omnem populum tuum a diebus regis Assur usque in diem hanc.

33. Et tu iustus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impiè egimus.

34. Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, & patres nostri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt

mandata tua, & testimonia tua quæ testificatus es in eis.

35. Et ipsi in regnis suis, & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latissima & pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt a studiis suis pessimis.

36. Ecce nosipsi hodie servi sumus: & terra, quam dedisti patribus nostris ut comederent panem eius, & quæ bona sunt eius, & nosipsi servi sumus in ea.

37. Et fruges eius multiplicaverunt regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & iumentis nostris secundum voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus.

38. Super omnibus ergo his nosipsi percussimus fœdus, & scribimus, & signant principes nostri, Levitæ nostri, & Sacerdotes nostri.

CAPUT X.

Designantur qui fœdus cum Deo initum signarunt, quo pollicentur se servaturos universa Dei præcepta, maxime de non commiscendo cum alienigenis, de servandis sabbato, anno septimo, oblationibus, primitiis ac decimis.

1. Signatores autem fuerunt, Nehemias, Athersatha filius Hachelai, & Sedecias,

2. Saraïas, Azarias, Ieremias,

3. Pheshur, Amarias, Melchias,

4. Hattus, Sebenia, Melluch,

5. Harem, Merimuth, Obdias,

6. Daniel, Genthon, Baruch,

7. Mosollam, Abia, Miamin,

8. Maazia, Belgai, Semeïta: hi sacerdotes.

9. Porrò Levitæ, Iosue filius Azaniae, Bennui de filiis Henadad, Cedimihel,

10. & fratres eorum, Sebenia, Odafa, Celita, Phalaïa, Hanan,

11. Micha, Rohob, Hasebia,

12. Zachur, Serebia, Sabania,

13. Odaïa, Bani, Baninur,

14. Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Aelam, Zethu, Bani,

15. Bonni, Azgad, Bebai,

16. Adonia, Begoai, Adin,

17. Ater, Hezecia, Azur,

18. Odaïa, Hasum, Besai,

19. Hareph, Anathoth, Nebai,

20. Megphas, Mosollam, Hazir,

21. Me-

Eodem
ann. 3551.

21. Mesizabel, Sadoc, Ieddua,

22. Pheltia, Hanan, Anaïa,

23. Osee, Hanania, Hasub,

24. Alohes, Phalea, Sobec,

25. Rehûm, Hasebna, Maasia,

26. Echaïa, Hanan, Anan,

27. Melluch, Haran, Baana:

28. Et reliqui de populo, Sacerdotes, Levitæ, ianitores, & cantores, Nathinai, & omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filij eorum, & filiae eorum,

29. omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum, & iurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei, ut facerent & custodirent universa mandata Domini Dei nostri, & iudicia eius & ceremonias eius,

30. & ut non darem filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filijs nostris.

31. Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad usum, per diem sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato & in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, & exactionem universæ manûs.

32. Et statuimus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicii per annum ad opus domûs Dei nostri,

33. ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus, & in sanctificatis, & pro peccato: ut exoretur pro Israël, & in omnem usum domûs Dei nostri.

34. Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter Sacerdotes, & Levitas, & populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi:

35. & ut afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiva universi fructûs omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini.

36. & primitiva filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, & primitiva boum nostrorum, & ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, Sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri:

37. & primitias ciborum nostrorum, &

libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei afferemus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum.

38. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, & Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri.

39. Ad gazophylacium enim deportabunt filij Israël, & filij Levi primitias frumenti, vini, & olei: & ibi erunt vasa sanctificata, & Sacerdotes, & cantores, & ianitores, & ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.

CAPUT XI.

Recensentur incolæ Ierusalem, & civitatum Iuda post instaurationem.

1. **H**abitaverunt * autem principes * Tunc & * populi in Ierusalem: reliqua deinceps.

verò plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem qui habitaturi essent in Ierusalem civitate sancta, novem verò partes in civitatibus.

2. Benedixit autem populus omnibus viris qui se spontè obtulerant ut habitarent in Ierusalem.

3. Hi sunt itaque principes provinciae qui habitaverunt in Ierusalem, & in civitatibus Iuda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbis suis, Israël, Sacerdotes, Levitæ, Nathinai, & filij servorum Salomonis.

4. Et in Ierusalem habitaverunt de filiis Iuda, & de filiis Benjamin: de filiis Iuda, Athaïas filius Aziam, filij Zachariae, filij Amariae, filij Saphatiae, filij Malaleël: de filiis Phares,

5. Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaïa, filius Ioarib, filius Zachariae, filius Silonitis:

6. omnes hi filij Phares, qui habitaverunt in Ierusalem, quadringenti sexaginta octo viri fortes.

7. Hi sunt autem filij Benjamin: Sellum filius Mosollam, filius Ioëd, filius Phadafa, filius Colaïa, filius Masia, filius Etheël, filius Isaïa,

8. & post eum Gebbai, Sellai, nonaginti vigintiocto,

9. & Ioël filius Zechri præpositus eorum, & Iudas filius Senua super civitatem secundus.

Pp 2

10. Et

10. Et de sacerdotibus, Idaia filius Ioarib, Iachin,
 11. Saraia filius Helciae, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob princeps domus Dei,
 12. & fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo. Et Adai filius Ieroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariae, filius Peshur, filius Melchiae,
 13. & fratres eius principes patrum: ducenti quadragintadu. Et Amasai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer,
 14. & fratres eorum potentes nimis: centum vigintiocto, & praepositus eorum Zabdiel filius potumium.
 15. Et de Levitis Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni,
 16. & Sabathai & Iozabed, super omnia opera, quae erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum.
 17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph princeps ad laudandum, & ad confitendum in oratione, & Bebecca secundus de fratribus eius, & Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum:
 18. omnes Levitae in civitate sancta ducenti octoginta quatuor.
 19. Et ianitores, Accub, Telmon, & fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo.
 20. Et reliqui ex Israel Sacerdotes & Levitae in universis civitatibus Iuda, unusquisque in possessione sua.
 21. Et Nathinai, qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaspha de Nathinaiis.
 22. Et episcopus Levitarum in Ierusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiae, filius Mathaniae, filius Michae. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei.
 23. Praeceptum quippe regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos,
 24. & Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filij Iuda in manu regis, iuxta omne verbum populi,
 25. & in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Iuda habitaverunt in Cariatharba & in filiabus eius: & in Dibon, & in filiabus eius: & in Cabseel, & in viculis eius,
 26. & in Iesue, & in Molada, & in Bethphaleth,

27. & in Hasersual, & in Bersabee, & in filiabus eius,
 28. & in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus eius,
 29. & in Remmon, & in Saraa, & in Ierimuth,
 30. Zanoa, Odollam, & in villis earum, Lachis & regionibus eius, & Azeca, & filiabus eius. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom.
 31. Filij autem Benjamin, a Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius:
 32. Anathoth, Nob, Anania,
 33. Asor, Rama, Gethaim,
 34. Hadid, Seboim, & Neballat, Lod
 35. & Ono valle artificum.
 36. Et de Levitis portiones Iudae, & Benjamin.

CAPUT XII.

Nomina & officia Sacerdotum ac Levitarum, qui cum Zorobabel in Ierusalem ascenderunt, & custodes thesaurorum: magna solemnitate convocatis undique Levitis celebrans dedicationem muri Ierusalem.

1. **H**I sunt autem Sacerdotes & Levitae, qui ascenderunt * cum Zorobabel filio Salathiel, & Iosue: Saraia, Ieremias, Esdras,
 2. Amaria, Melluch, Hattus,
 3. Sebenias, Rheum, Merimuth,
 4. Addo, Genthon, Abia,
 5. Miamin, Madia, Belga,
 6. Semeia, & Ioarib, Idaia, Sellum Amoc, Helcias,
 7. Idaia. Isti principes Sacerdotum, & fratres eorum in diebus Iosue.
 8. Porrò Levitae, Iesua, Bennui, Cedmihel, Serebia, Iuda, Mathanias, super hymnos ipsi & fratres eorum:
 9. & Bebecca atque Hanni, & fratres eorum unusquisque in officio suo.
 10. Iosue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiaada,
 11. & Ioiaada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa *.
 12. In diebus autem Ioacim erant Sacerdotes & principes familiarum: Saraia, Maraia: Ieremiae, Hanania:
 13. Esdrae, Mosollam: Amariae, Iohanan: Milicho, Ionathan, Sebeniae, Ioseph:

† Digressio haec & recensio sacerdotum nata est occasione super cap. ut una serie torus Ecclesiasticus & politicus ordo cetereretur.
 * Dnabus profectio-nibus: altera cum Zorobabel. (Esd. 2.) Altera cum ipso Esdra; (Esd. 7.) est ergo synecdoche.
 * Non ille est Iaddus Iosephi, qui occurrit Alexandro, ut docti quidam opinati sunt.

15. Haram, Edna: Maraioth, Helciae:
 16. Adai, Zacharia, Genthon, Mosollam:
 17. Abia, Zechri, Miamin & Moadiae, Pheleth:
 18. Belgae, Samua: Semeia, Ionathan,
 19. Ioarib, Mathania: Iodaia, Azzi:
 20. Sellai, Celai: Amoc, Heber:
 21. Helciae, Hasebia: Idaiae, Nathanael:
 22. Levitae in diebus Eliasib, & Ioiaada, & Iohanan, & Ieddoa scripti principes familiarum, & Sacerdotes in regno * Darij Persae:
 23. Filij Levi principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum, & usque ad dies Ionathan filij Eliasib.
 24. Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, & Iosue filius Cedmihel: & fratres eorum per vices suas, ut laudarent & confiterentur iuxta praecipuum David viri Dei, & observarent aequè per ordinem.
 25. Mathania, & Bebecca, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub custodes portarum, & vestibulorum ante portas:
 26. Hi in diebus Ioacim filij Iosue, filij Iosedec, & in diebus Nehemiae ducis, & Esdrae sacerdotis scribebat.
 27. In dedicatione autem muri Ierusalem requisierunt Levitas de omnibus locis suis ut adducerent eos in Ierusalem, & facerent dedicationem & laetitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalteriis, & citharis.
 28. Congregati sunt autem filij cantorum de campestribus circa Ierusalem, & de villis Nerthuphati,
 29. & de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaveth: quoniam villas aedificaverunt sibi cantores in circuitu Ierusalem.
 30. Et mundati sunt Sacerdotes & Levitae, & mundaverunt populum, & portas, & murum.
 31. Ascendere autem feci principes Iuda super murum, & statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinam.
 32. Et ivit post eos Osaïas, & media pars principum Iuda,
 33. & Azarias, Esdras, & Mosollam, Iudas, & Benjamin, & Semeia, & Ieremias.
 34. Et de filiis sacerdotum in tubis, Za-

charias filius Ionathan, filius Semeia, filius Mathaniae, filius Michae, filius Zechur, filius Asaph,
 35. & fratres eius Semeia, & Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, & Iudas, & Hanani, in vasis cantu David viri Dei: & Esdras scriba ante eos in porta Fontis.
 36. Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David in ascensu muri super domum David, & usque ad portam Aquarum ad Orientem.
 37. Et chorus secundus gratias referendum ibat ex adverso, & ego post eum, & media pars populi super murum, & super turrum furnorum, & usque ad murum latissimum,
 38. & super portam Ephraim, & super portam antiquam, & super portam piscium, & turrum Hananeel, & turrum Emath, & usque ad portam gregis: & steterunt in porta custodiae,
 39. steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magistratum mecum.
 40. Et Sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, Michaea, Eljioñai, Zacharia, Anania in tubis,
 41. & Maasia, & Semeia, & Eleazar, & Azzi, & Iohanan, & Melchia, & Aelam, & Ezer. Et clarè cecinerunt cantores: & Iezraia praeposuit:
 42. & immolaverunt in die illa victimas magnas, & laetati sunt: Deus enim laetificaverat eos laetitia magna: sed & uxores eorum, & liberi gavisi sunt, & audita est laetitia Ierusalem procul.
 43. Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Levitas: quia laetificatus est Iuda in Sacerdotibus & Levitis astantibus.
 44. Et custodierunt observationem Dei sul, & observationem expiationis, & cantores, & ianitores iuxta praecipuum David, & Salomonis filij eius,
 45. quia in diebus David & Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum in carmine laudantium, & confitentium Deo.
 46. Et omnis Israel, in diebus Zorobabel, & in diebus Nehemiae dabant partes cantoribus & ianitoribus per dies singulos, & sanctificabant Levitas, & Levitae sanctificabant filios Aaron.

* Nec ille Darius est Codomanus ab Alexandro anno M. 374 devictus. Qui enim potuisset Nehemias ad hanc atatem vitam producere? Sed est DARIUS NOTHUS Artaxerxis Longimani filius, qui Darius regnum auspiciatus est anno M. 381. ante Chr. eram 423. Vide Chronologiam nostram.

CAPUT XIII.

LECTIO Deuteronomio ejectione alienigenæ, partes Levitis assignantur, & quo tamen gazophylacio vasa domus Tobie projiciuntur, & sabbati violatores puniuntur: increpat Nebemias Iudæos qui uxores duxerant alienigenas.

Deut. 23. 3. Possis vertere; tempore illo, quo nempe habitaverunt principes populi in Ierusalem. (Sup. cap. 11.) Et illo presentim quo absuit Nebemias, ut patet infr. v. 6. Id est, affinis factus fuerat Tobie, & Tarparchæ Ammonitarum. Sup. 2. 10. Anno M. 3562. Ant. Chr. 442. Ergo postquam præfecturam ann. 12. compleverat. Vid. supr. 2. 7. & 5. 14. Sup. memoirum, id est, circa finem vite meæ. Hincque secunda eius incipit præfectura, que ad initium regni Darij Nothi pervenisse videtur; ex sup. cap. 9. 22.

1. In die autem illo lectum est in volumine Moysi audiente populo: & inventum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum: 2. eod quod non occurrerint filiis Israël cum pane & aqua: & conduxerint adversum eos Balaam, ad maledicendum eis: & converterit Deus noster maledictionem in benedictionem. 3. Factum est autem; cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israël. 4. Et super hoc erat Eliasib sacerdos qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobie. 5. Fecit ergo sibi gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes mitera, & thus, & vasa, & decimam frumenti, vini, & olei, partes Levitarum, & cantorum, & iahitorum, & primitias sacerdotales. 6. In omnibus autem his non fui in Ierusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, & in fine dierum rogavi regem. 7. Et veni in Ierusalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobie ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei. 8. Et malum mihi visum est valde. Et proieci vasa domus Tobie foras de gazophylacio: 9. præcepique & emundaverunt gazophylacia: & retuli tibi vasa domus Dei, sacrificium, & thus. 10. Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datæ: & fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, & cantoribus, & de his, qui ministrabant. 11. & egi causam adversus magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregavi eos, & feci stare in stationibus suis. 12. Et omnis Iudæa apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea. 13. Et constitimus super horrea Seleamiam Sacerdotem, & Sadoe scribam, & Phadaiam de Levitis, & iuxta eos Hanan

filium Zachur, filium Mathanie: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum. 14. Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei: & in ceremoniis eius. 15. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, & onerantes super asinos vinum, & uvas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die sabbati. Et contestatus sum ut in die quâ vendere liceret, venderent. 16. Et Tyriz habitaverunt in ea inferentes pisces, & omnia venalia: & vendebant in sabbatis filiis Iudæ in Ierusalem. 17. Et obiurgavi optimates Iudæ, & dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis & profanatis diem Sabbati? 18. Numquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super civitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israël violando Sabbatum. 19. Factum est autem, cum quievisset porta Ierusalem in die Sabbati, dixi: & clausuram ianuas, & præcepi ut non aperirent eas usque post Sabbatum: & de pueris meis constitui super portas ut nullus inferret onus in die Sabbati. 20. Et manserunt negotiatores, & vendentes universa venalia foris Ierusalem semel & bis. 21. Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare maneris ex adverso muri? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato. 22. Dixi quoque Levitis ut mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem Sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. 23. Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes uxores Azoridas, Ammonitidas, & Moabitidas. 24. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticæ, & nesciebant loqui Iudæicæ, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi. 25. Et obiurgavi eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decalavi eos, & adiuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filias suas, & sibimetipsis dicebam:

26. Num-

3. Reg. 3. 1. & 11. 1. 3. Reg. 11. 4. 3. Reg. 17. 3. & 18. 9. Anno M. 3283. Ant. Chr. 721. etatis Tobie circiter 44. 01.

26. Numquid non in huiusmodi peccavit Salomon rex Israël? & certe in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deum regem super omnem Israël: & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. 27. Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc ut prævericemur in Deo nostro, & ducamus uxores peregrinas? 28. De filiis autem Iofada filij Eliasib

* sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me. 29. Recordare Domine Deus meus adversum eos, qui pollunt sacerdotium, iusque Sacerdotale & Leviticum. 30. Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum & Levitarum, unumquemque in ministerio suo: 31. & in oblatione lignorum in temporibus constitutis, & in primitivis mementis mei Deus meus in bonum. Amen.

* Diversus ab eo qui est supra v. 4 & 7.

LIBER TOBIÆ.

CONTINET hic liber, eximia pietatis, singularis patientiæ, & Dei in suis providentiæ, præclara documenta. Tobias enim semper in Deum fidelis, cum in captivitatem abduceretur, quò tempore, captus a Salmanasare Samariâ, Israëliticum regnum eversum est, a piis operibus nunquam destitit. Hunc ab eodem Salmanasare primum clementer habitum & annonæ curatorem constitutum Græci testantur codices, a Chaldeis, quos in versione nostrâ secutus est Hieronymus, non parùm diversi. Post autem a Sennacheribo, cuius offensionem, suo in mortuos sepeliendos studio, meruerat, bonis & exilio multatus est: sed ab Assaradone statim restitutus, operâ Achioris filij fratris sui, quem ille Rex omnibus suis rationibus præfecerat. At postea bonis iterum spoliatus est. Quin & cæcitate interim a Deo probatus. Tandem, filio, quem in Mediam ad pecuniam a Gabelo repentandam miserat, cum nuru, ingentibusque divitiis, recepto & viis recuperato, Dei benedictionibus cumulatus, ingentem ex filio post se reliquit sobolem, cui mortuus bene precatur, & ex Prophetarum dictis de Ninive evertenda, bene consult.

CAPUT PRIMUM.

Tobias in captivitate constitutus, a lege Dei non recedit; & filium Tobiam ex Anna uxore susceptum, Deum timere docet: gratus regi Salmanasar, pergit quocumque vult: confratres captivos consolatur & iuvat elemosinâ: Gabelo dat mutuo decem argenti talenta: Sennacherib, quod mortuos sepeliret, eum persequitur.



1. Obias ex tribu, & civitate Nephthali (que est in superioribus Gallæ supra Naasson, post viam, quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet) 2. * cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit, 3. ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie captivis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.

4. Cùmque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. 5. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, * quo Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, 6. sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiva sua, & decimas suas fideliter offerens, 7. ita ut in tertio anno proselytis & advenis ministraret omnem decimationem. 8. Hæc & his similia secundum legem Dei puerulus observabat. 9. Cùm verò factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, 10. quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. 11. Igitur cùm per captivitatem devenisset cum uxore sua, & filio * in civitatem Niniven cum omni tribu sua, 12. (cùm omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodivit animam suam, &

* 3. Reg. 12. 28.

* Quatuor circiter annorum puer. V. infrâ 3. 21. & 14. 16.